

P. II. Cap. V.
de Versione
Vulgata La-
tina.

§. II.

Origines Vulgatæ & in antiquissima translatione Itala sive Communi, & in Hieronymi lucubrationibus atque curis Biblicis, & in subsequentium temporum variationibus requirimus, ita tamen, ut ad unam certam referri nequeant ætatem, vel autorem.

Cum a primordio nascentis ecclesiæ Occidentalis versione Latina opus esset, dubium non est, quin proxime ab Apostolorum excessu illa conderetur, quæ ab Augustino *lib. II. de Doctrin. Christ. cap. XV.* & in veterum monumentis passim *Itala*, ab Hieronymo *Comm. in Jes. cap. XIV. & XLIX.* & alias sæpius *Communis & Vulgata*, a Gregorio M. denique *in Epist. ad Leandrum, ante Moralia in Job. præfixa*, & ab aliis *Vetus* appellatur. Itala quidem, ob communem in ecclesiis Italicis usum, forsitan & quia in Italia primum nata fuerat, aut inde ad cæteras gentes, quibus Latinus sermo erat vernaculus, transierat: Communis & Vulgata, cum quia nullum certum agnosceret autorem, tum vel maxime, quia non de fonte Hebræo, sed de Græca *καινή*, vel *LXX.* virali esset conversa: Vetus, non comparatione modo instituta, cum versione Hieronymi, quæ *Nova* audiebat, quo respectu ab ipso Hieronymo *præf. in Josuam* Vetus salutatur, sed etiam a vetustissimo in Occidentali ecclesia usu, & quod ad virum quendam Apostolicum referretur autorem. Eam æqualem quidem, vel etiam antiquiorem fuisse temporibus Apostolorum, pronunciat H. Vossius *de oraculis Sibyll. cap. XIII.* sed propius a vero absunt, qui ab aliquo Apostolorum discipulo proculam fuisse, existimant cum Serario *Prolegom. Bibl. cap. 19. qu. 8.* nec ab uno illam profluxisse autore, divertum dicendi genus indicat. Quicumque vero parens ei obtigerit, testibus tamen Augustino & Hieronymo, certum satis exploratumque est, ex Græ-

ca

de Biblior. Text. Original & Versionibus Lib. III. P. II. tota p. 342. Sixtinus Amama in *Anti-Barbaro Biblico*, qui ex instituto versione Vulgatæ oppositus, insigniores ejus nazvos sigillatim persequitur.